624.a.30

TROPORUM ET FIGURARUM RHETORICES PRÆCIPUARUM Institutio Brevis.

In Usum SCHOLARUM.

A Gulielmo Turnero, A. M.
Eidem Scholæ Stamfordensis, nunc Colcestriensis MAGISTRO.

LONDINI
Typis S. PALMER;
Prostant venales apud S. BALLARD, in vico dicto *Little-Britain*; & J. OSBORN, & T. LONGMAN in *Pater-noster-Row*.
MDCCXXV.

TROPORUM

ET

FIGURARUM

RHETORICARUM

PRÆCIPUORUM

Explicatio Brevis.

In usum SCHOLARUM.

ACADEMICO Typographeo, A. M.

Publicam Scholæ Stamfordensis, nunc
Collegiticiis MAGISTRO:

LONDINI:

Typis S. PALMER;

Prostant venales apud S. PALMER, in
Vico dicto Little-Britain; & J. OSBORN,
in Pall-Mall. MDCCXXV.

TROPI.

Tropi quatuor sunt, Synecdoche, Metonymia, Metaphora, Ironia.

Synecdoche	est commutatio nominum inter se	Totius & partium ejusdem rei.
Metonymia		Rerum ad se invicem pertinentium.
Metaphora		Rerum similium.
Ironia		Rerum contrariarum.

Præcognoscenda ad Synecdochen intelligendam.

Totum triplex est Universale, Essentiale, Integrale.

1. Totum universale est, quod res plures complectitur, & de singulis partibus suis æquè prædicari potest.

Proinde quodvis Nomen Substantivum Appellativum potest esse Totum Universale, Partesque ejus sunt vel rerum species, vel res individuæ, *i. e.* singulares, quæ eo nomine communi appellantur. Sic *Animal* est totum Universale, cujus Partes sunt *Homo* & *Bestia*. Rursus *Homo* est Totum Universale, ejusque Partes Homines singuli, qui individui dicuntur, scilicet *Petrus*, *Paulus*, *Joannes*, *Gulielmus*, &c.

Candor est totum Universale, Partesque sunt variæ candoris species in diversis Subjectis, nempe *candor nivis*, *candor cygni*, *candor ebboris*, *parietis*, &c.

Altitudo eſt Totum Univerſale, cujus partes ſunt diverſi altitudinum gradus; ut *domus, turris, montium, nubium, ſiderum, cœli*, &c.

Celeritas eſt Totum Univerſale, Parteſque ſunt *celeritates* equi, *canis, leporis, alitis, ſagittæ, venti, fulguris*, &c.

Itidem Subſtantivum cum Adjectivo adjuncto; ſic *vir bonus* aut *viri boni* eſt Totum Univerſale, reſpectu *Catonis, Pauli, Scipionis, Phili*, & ſimilium; *Viri ſobrii & abſtinentes* reſpectu *Curii, Fabricii*, &c.

Porrò Adjectiva ſola & Adverbia poſſunt eſſe tota Univerſalia, quoniam Nominum Subſtantivorum ſignificationem ſuo modo innuunt. Nam (exempli gratia) *Candidus* & *Candidè* innuunt *Candorem, Altus* & *Altè Altitudinem, Celer* & *Celeriter Celeritatem*. Et ſic in reliquis.

Denique Verbum poteſt eſſe Totum Univerſale. Sic *facere* eſt ejuſmodi Totum, & *facere rem quampiam particularem* eſt quaſi Pars *faciendi* in genere, viz. *facere ſacra, facere prælia, facere ædes*, &c. Itidem *denunciare aliquid futurum* eſt hujuſmodi Totum ejuſque partes ſunt *Promittere*, quod eſt, *denunciare aliquid boni*, & *Minari*, quod eſt *denunciare aliquid mali*.

2. Totum eſſentiale eſt quod conſtat ex *Materia* & *Forma*. *Materia* autem eſt id ex quo res facta eſt; *Forma* verò eſt id, quod facit, ut ea ipſa res ſit, quæ eſt. Ex. gr. *Domus* eſt Totum Eſſentiale, cujus *Materia* eſt ea quæ oculis cernitur, nempe *Lignum, lapis, later, laterculus*, &c. *Forma* verò eſt hujuſce materiæ ea diſpoſitio, quæ efficit, ut familiæ uſibus inſervire poſſit. *Nummus* eſt Totum eſſentiale, cujus *Materia* eſt *aurum, argentum, æs*, &c. unde factus eſt; *Forma* verò *Imagines verbaque inſcripta* ſunt, quibus acceptum refert, quod nummus ſit. *Gladius* eſt Totum Eſſentiale reſpectu *ferri* aut *chalybis*, quæ *Materia* eſt, & figuræ, quæ eſt *Forma*, utpote quæ efficiat, ut *gladius* ſit. *Navis* eſt Totum Univerſale reſpectu *Materiæ* ex quâ conſtat, & *Formæ*, quæ eſt ea figura, quâ ad navigandum apta redditur. Denique *Homo* eſt Totum eſſentiale reſpectu *Corporis* & *Animæ*, quæ Partes Eſſentiales hominis vulgò cenſentur. *Corpus* autem ejus quaſi *Materialis* Pars eſt, & *Anima* quaſi *Formalis*.

3. Totum integrale eſt, quod conſtat ex Partibus Integralibus aſſis extra alias poſitis. Pars autem Integralis eſt, quæ ſi abſit, Totum non fuerit integrum. *Sic corpus humanum* eſt Totum Integrale, cujus Partes Integrales ſunt *Caput, Os, Pectus, Manus, Pedes*, &c. *Navis* eſt Totum Integrale, ejuſque Partes Integrales, *Prora, Puppis, Carina, &c.*

Synecdoche.

Pro Toto Partem, contraque Synecdoche ponit.

1. *Totius*; *ut*, Dolus, an [c] *virtus*, quis in hoſte requirat? *Virg.*
Ter circum Iliacos raptaverat [b] *Hectora* muros. *Id.*
Hic ſitus eſt [c] *Phaethon*. *Ov.* Ingens à vertice [d] *pontus*.
In puppim ferit. *Virg.* Inde [e] *ora* indignantia ſolvit. *Ov.*
Percutit [e] *ora* manu: laniatque à pectore veſtes:
[e] *Pectoraque* ipſa ferit. *Id.* Plumis nova [e] *colla* teguntur,
[e] *Pectoraque*, & tergum. *Id.* Merſitque in cortice [e] *vultus*. *Id.*
Neſcit in immenſo jactari [e] *corpora* ponto. *Id.*
Nos populo impoſuimus, & [e] *oratores* viſi ſumus. *Cic.*

2. *Partis*; *uti*, [f] Curios ſimulant, *Juv.* Volat [g] *ocyor aurâ*. *Virg.*
Non ita [h] *Carpathia* variant [i] *Aquilonibus* [k] *unda*. *Hor.*
[l] *Sexcenta* licet ejuſmodi proferre. *Cic.*
Modò non [m] *montes auri* pollicens. *Ter.*

Non

---

[c] *Fortitudo*. Totum univerſale pro Parte. Eodem modo ponitur *homo* & *animal* pro homine aliquo Individuo. Ut, *ſine dubio perditiſſimus hominem* [i. e. *Catilinam*.] Cic. *Ad quam ſpem tam pernicioſum tam impurum animal conſervetis?* [i. e. *C. Verrem*.] Idem.

[b] *Hectoris cadaver*; quod ad currum alligatum putarat videlicet Virgilius Homerum narrare Achillem circum Trojam traxiſſe.

[c] haethontis oſſa. *Phaethon* pro *corpore* Phaethontis, Totum Eſſentiale pro Parte Eſſentiali. Deinde *corpus* pro *oſſibus*, Totum integrale pro parte Integrali.

[d] *Fluctus*. Totum Integrale pro Parte.

[e] *Vir*, *os*, *pectus*, *vultus*, *tergum*, *corpus*, *orator*. Numerus Pluralis pro Singulari, quod eſt Totum Integrale pro Parte.

[f] *Viros ſobrios & abſtinentes*. Pars pro Toto Univerſali.

[g] *Ocyor aurâ* pro *celeriter* in genere. [h] *Qualibet unda*.

[i] *Ventis quovis*. [k] *Permulta*. [l] *divitias ingentes*.

[m] *Montes*

Non domus & fundus, non [a] *æris* acervus & [a] *auri*
Ægroto domini deducet corpore febres. *Hor.*
Labitur uncta vadis [c] *abies. Virg.* [d] *Animâque* litandum
Argolicâ. *Id.* O socii, fortissima [e] *pectora* frustra. *Id.*
Primus abit, longeque ante omnia [f] *corpora* Nisus
Emicat. *Id.* Involvens umbrâ terramque [g] *polumque. Id.*
Ah! lacerasne etiam [h] *puppes* furiosa refeci,
Ut quâ desererer firma [i] *carina* foret. *Ov.*
Post certas [k] *hyemes* uret Achaicus
Ignis Iliacos domos. *Hor.*
[l] *Hostis* habet muros. *Virg.*
Serviet [m] *æternum*, qui parvo nescîat uti. *Hor.*

2. Metonymia.

Effectum Causa si nomine significetur, Subjecti Adjunctum, contrave, Metonymiam dic.

Metonymia quadruplex est (1) Causæ Efficientis pro Effecto, (2) Effecti pro Causa; (3) Subjecti pro Adjuncto, (4) Adjuncti pro Subjecto.

---

[a] Æs & aurum pro nummo constato ex ære & auro, est Pars Effectûs pro Toto.
[c] Navis abiegna. [d] Homines Argolici.
[e] Homines fortissimi. Pectus pro corpore est Synecdoche Partis Integralis pro Toto.
[g] Homines. Sic Anglice dicimus, every body, somebody, nobody.
[h] Cælum. Pars Integrales pro Toto. [i] Navem. [k] Annos.
[l] Hostes. Numerus singularis pro Plurali.
[m] Perpetuo Metalepsis. Æternum pro die est Synecdoche Partis pro Toto Universali. Ruesum die pro toto vitæ est Synecdoche Totius Universalis pro Parte.

Ex-

1. *Efficientis*; *uti*, Raræ ſine [a] *Mentore* menſæ. *Juv.* Mentoris hæc [b] *manus* eſt. *Mart.* [c] Lux hæc mihi *longior anno* eſt. *Virg.*

Illa ſeges, quæ bis [d] *ſolem*, bis frigora ſenſit. *Virg.*

2. Effecti; Invidia [e] *exitium* eſt mortalibus ægris. *Sil.*

Scipiadæ [f] *clades* Libyæ. *Virg.* Sed [g] *gloria* Romæ. Jam dedit illud [h] *opus* pœnas. *Ov.* Quæ ſera ſub Orco

Fata manent [i] *culpas*. *Hor.* Sylvis decuſſit [k] *honorem*. *Virg.*

Eripiunt nubes oculis cœlumque [l] *diemque*. *Id.*

Te, [m] *ſcelus*, ulciſcar. *Ter.* Pueris matercula [n] pallet. *Hor.*

[o] *Pallida* mors. Id. [p] *Vigiles* curæ. *Ov.* *Diſcordia* [q] *demens*. *Virg.*

[r] *Pallentesque* habitant morbi, [s] *triſtisque* ſenectus. *Id.*

[t] 3. *Sub-*

---

[t] Subjectum eſt cui aliquid adjungitur præter ejus eſſentiam.

[u] Adjunctum eſt aliquid non eſſentiale, quod rei vel ineſt, vel adhæret, vel alio quoque modo ad eam pertinet. Sic *color*, *magnitudo*, *vires*, *venuſtas*, *valetudo*, *ingenium*, *mores*, &c. Sunt Adjuncta hominis, in quo inſunt; *capilli*, *veſtes*, *arma*, *inſtrumenta*, *opes*, *poſſeſſiones*, *honores*, *tituli*, &c. ſunt Adjuncta hominis, cujus ſunt.

Quicquid in aliquo continetur, eſt Adjunctum ejus, quod illud continet; ut, *homines urbis*, *regionis*, *ſæculi*, in quibus degunt; *vinum* dolii, aut poculi in quo ineſt.

Signum eſt Adjunctum rei, quam ſignificat, ut *veſtigium pedis*, *imago & nomen hominis*, *palma victoria*, *cenſus opum*, *Faſces Magiſtratûs*, &c.

---

[a] Poculo a Mentore facto. [b] Opificium manus Mentoris.
[c] Dies. [d] Calorem. [e] Exitii cauſa. Ita *Invidia hominibus quæ maxima* = *ſolus homo alter*. [f] Qui clades Libyæ intulerunt. [g] Qui gloriam attulerunt Romæ.
[h] Author illius operis. [i] Peccatores. *Meloſi*.
[k] Folia. [l] Lucem. [m] Scelerato. Qui ſcelera in te admiſit.
[n] Metuit. [o] Pallidos efficiens mortales. [p] Quæ vigiles faciunt homines.
[q] Demens ut hominem. [r] Quia pallidos reddunt homines.
[s] Quæ triſtes efficit.

* 3. *Subjecti*; *ut*, [u] Cor ſolus habes. Sine [x] pectore Miles. *Ov.*

[y] *Solſtitium* pecori defendite. *Vir.* Proximus ardet [z] *Ucalegon*. *Id.* Cænabis apud [a] *me*. Sub [b] *Lare* parvo. *Hor.*

[c] Orpheaque in medio poſuit, [c] *Sylvaſque* ſequentes. *Virg.*

Fertur equis auriga, neque [d] *audit* currus habenas. *Id.*

Neve foret [e] *terris* ſecurior arduus [e] *æther*. *Ov.*

[f] *Roma* tremit. Poſitis miteſcent [g] *ſæcula* bellis. *Virg.*

Triſte lupus [h] *ſtabulis*. Paſtorum ille audit [i] *amores*. *Id.*

* 4. *Adjuncti pro Subjecto*; *ut*, [l] Trojana *Juventus*. *Virg.*

[m] *Invidiæ* mores. *Mart.* [n] *Probitas* laudatur & alget. *Juv.*

Nectè tribus nodis ternos, Amarylli, [o] *colores*. *Virg.*

Si redeant veteres, *ingentia* [p] *nomina*, patres. *Mart.*

Cedant [q] *arma* [q] *togæ*. *Cic.* [r] *Conſul* trigeſimus inſtat. *Mart.*

Humida

Id quod comitatur aut ſequitur aliquam rem eſt ejus Adjunctum; ut *Faſces magiſtratûs, Conſul anni, ſomnus noctis, arma belli, toga pacis, tædæ nuptiarum, ſocci Comœdiæ, cothurni Tragœdiæ, Solſtitium & meſſis æſtatis, calor ſolſtitii æſtivi, funus & rogus mortis, triumphus victoriæ*, &c.

Denique Objectum eſt Adjunctum ejus rei, quæ circa id verſatur; ut, *res amata amoris, res ſperata ſpei, res curata curæ, res deſiderata deſiderii*, &c.

---

[u] Sapientiam, quæ in corde putabatur eſſe ſita. [x] Conſilio. [y] Æſtum. Meuſ. pro. Primo Solſtitium pro ſolſtitio æſtivo. Synecd. Totius. Deinde ſolſtitium æſtivum pro æſtu. Meton. Subjecti pro Adj. [z] Domus Ucalegontis Poſſeſſor pro re poſſeſſa. [a] Domi meæ. [b] In domo parva. Sic, *manet ſub Jove frigido Venator*, i. e. ſub dio. *Hor.* [c] Orphei & Sylvarum imaginem. Signatum pro ſigno. [d] Obtemperat habenis. Antecedens pro Conſequente. [e] Hominibus Dii. Locus pro incolis. [f] Romani. [g] Homines ſæculorum. [h] Ovibus. Pecori. [i] Cantilenas & ſermones de amoribus. [l] Juvenes Trojani. [m] invidorum. [n] Probi homines. Similiter Ovid. *Non habet unde ſuum paupertas paſcat amorem*, (i. e. pauper.) [o] Licia terna colorum diverſorum. [p] Viri ingentes. [q] Bellum pacis. [r] Annus.

Humida [f] *Solſtitia*, atque hyemes orate ſerenas. *Virg.*
Libra die [t] *ſomnique* pares ubi fecerit horas. *Id.*
Tu quoque [u] *damnabis votis. Id.* Sine [v] *pulvere* [x] *palma. Hor.*
Muſæ, noſter [y] *amor.* [z] *Mortalia* temnitis *arma. Virg.*

3. Metaphora.

Pro propriâ ſimilem dat voce Metaphora vocem. Ut,

[a] Fulminat Æneas *V.* Curarum [b] fluctuat æſtu. *Id.*
[c] Ridet ager. *V.* [d] Jugulo curas. *Mart.* Maris æquor [e] arandum. *Virg.*
Ingenii [f] flumen. Mens [g] ferrea. [h] Prælia linguæ. *Ov.*
[i] Remigium alarum. *V.* [l] Vitrea unda. *Id.* Manus [m] piceata. *Mart.*
O [n] lux Dardaniæ. *V.* [o] Aſpirat fortuna labori. *Virg.*
Vitæ [p] meta. *Mart.* Animi [q] candor. *Ov.* Te cura [r] remordet. *Virg.*

Metaphora eſt ſimilitudo ad unam vocem redacta. Proinde voci Metaphoricæ vox *quaſi* ſemper præponi poſſit; ut *Quaſi fulminat, quaſi fluctuat, quaſi ridet*, &c.

B 4. Ironia.

---

[f] Æſtates. Metalepſis. [t] Solſtitia pro Solſtitiis æſtivis. Synecd. Totius (ut ſupra.) 2. Solſtitia æſtiva pro æſtatibus. Meton. Adjuncti pro Subjecto. [t] Noctiſque. [u] Exaudies preces, eoque pacto damnabis votis ſolventis. Conſequens pro Antecedente. [v] Labore. [x] Victoria. [y] Quas nos amamus. Objectum noſtri amoris. [z] Arma mortalium.

[a] Acerrime pugnat. [b] Variat ejus animus & ſententia inſtar fluctuum. [c] Floret. [d] Sedo, Lenio. [e] Sulcandum, ſecandum. [f] Copia & vis magna. [g] Dura. [h] Rixæ & convitia. [i] Opera & nitidi alarum, quæ protrudunt aliquem, ut remi navim. [l] Pellucida. [m] Pura. [n] Præſidium & decus. [o] Favet. [p] Finis. [q] Sinceritas. Simplicitas, Probitas. [r] Angit.

4. Ironia.

Contra quam sentit solet Ironia jocari. Ut,

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen. *Virg.*
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. *Id.*
O salve, bone vir, curâsti probé. *Terent.*

Troporum Affectiones 4.

Catachresis, Hyperbole, Metalepsis, Allegoria.

1. Catachresis.

Durior impropriæ est Catachresis abusio vocis.

Ut, Capitisque [a] *nives. Hor.* [a] *Equitare* in arundine longâ. *Id.*
Instar montis equum divinâ Palladis arte
[b] *Ædificant. Virg.* Maculis auro [a] *squalentibus* ardens. *Id.*
Et me [b] promisi ultorem. *Id.* Præclarâ [b] *minatur. Hor.*
[a] *Vir* gregis ipse caper. *Virg.* Oculisve aut pectore [c] *noctem*
Accipit. *Id.* Ardentes avido [a] *bibit* ore favillas. *Mart.*
[a] *Urebant* montana nives. *Lucan.* Rapit [b] *ungula* currus, *Virg.*

---

a In Metaphora, sita Subjecti pro Adjuncto.
b In Synecdoche.
c In Metonymia.

2. Hyper-

2. Hyperbole.

Augens aut minuens excedit Hyperbole verum. Ut,

Ex hac parte [a] pudor pugnat, [a] petulantia at illinc Te, [b] ſcelus, uſciſcar. *Ter.* [c] Ferit aurea Sydera clamor. *Virg.*
Eſt levius [d] plumâ. [e] Buſiride ſævior ipſo eſt.
[f] Mille trahit varios adverſo ſole colores. *Virg.*
[g] Sexcenta licet hujuſmodi proferre. *Cic.*

N. Quando extenuat rem ultra verum, dicitur Meioſis aut Tapeinoſis.

3. Metalepſis.

Plures voce Tropos cumulat Metalepſis in unâ. Ut,

Poſt aliquot mea regna videns mirabor [h] ariſtas. *Virg.*
Ridiculum [i] caput. *Ter. Et,* Caput inſuperabile bello. *Virg.*
Tecum ter denos numeravi, Pontice, [l] brumas. *Mart.*

---

a Pudici & petulantes homines. *Metonym. Adjuncti.* b Scelefie, *Meton. Effecti pro Efficiente.* c In altum ſurgit. *Synecd. Partis pro Toto Univerſali.* d Admodum leve. e Admodum ſævus. f Permultos. g Permulta. *Eadem Synecd.*

h Annos. Ariſta pro ſpica *Synecdoche eſt Partis pro Toto*, vel *Metonym. Adj. pro Subjecto.* Deinde ſpica pro ſegete, *Synecd. Partis pro Toto.* Porro ſegetes pro meſſe. *Meton. Adj.* Rurſum meſſis pro æſtate, *eadem Metonymia.* Denique æſtas pro anno, *Synecd. Partis pro Toto.*
i Homo. Primo caput pro toto corpore, eſt *Synecd. Partis Integralis pro Toto.* Rurſum corpus pro homine, *Synecd. Partis Eſſentialis pro Toto.*
l Annos. Bruma pro hyeme, *Meton. Adj. pro Subj.* vel *Synecdoche Partis pro Toto.* Deinde hyemes pro anno, *Synecdoche eadem.*

4. Allegoria.

Si repetitus erit Tropus idem, Allegoria audit.

Sint [a] Mæcenates, non deerunt, Flacce, [b] Marones:
[c] Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt. *Mart.*

Cedant [d] arma togæ. *Cic.*

Sine [e] Cerere & [f] Libero friget [g] Venus. *Terent.*

Troporum Species.

¶ Antonomasia.

Pro Proprio Commune dat Antonomasia nomen,
Aut pro Communi Proprium, Ut h Cytherea, Poeta,
Æacides, [m] Pœnus, n Proteus, o Epicurus, & p Irus.

N. Antonomasia est Synecdoche Speciei pro Individuo, aut Individui pro Specie.

Litotes.

Est Litotes, quando plus dicto significatur.

Milcueruntque herbas, & q non innoxia verba. *Virg.*
Formaque r non taciti funeris intus erat. *Ovid.*
s Non laudo. *Ter.*

Apophasis & Paralipsis.

Non dico (1) *Apophasis*; (2) Taceo, mitto, *est Paralipsis.*

1 Non ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis, &c. *Cic. Verr.* 1.

2 Sinite hoc loco præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit, ut &c. *Cic. pro Leg. Man.*

Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, &c. *Cic. pro Cluent.*

Quid repetam exustas Erycino in littore classes? *Virg.*

N. Apophasis & Paralypsis sunt species Ironiæ.

---

a Fautoni & fautores Poetarum bonorum. b Poetæ eximii.
c Poetam aliquem egregium. *Synecdoche Partis pro toto Universali.*
d Bellum paci. *Meton. Adjuncti pro subj.* e Pane. f Vino.
g Amor. *Metonym. subj. pro Adj.*
h Venus. i Homerus. l Achilles. m Hannibal.
n Homo varius & inconstans. o Voluptuarius homo. p Mendicus.
q Noxia. r Luctuosi. s Culpo.

Figuræ Grammaticæ.

In Literis & Syllabis, ad Analogiam aut Prosodiam pertinentes.

Prothesis, & Aphæresis.

Addit principio Prothesis, sed Aphæresis aufert.
Ut, Tetulisse pedem huc. *Ter.* * Testor, me tollite, Teucri. *Virg.*

Syncope, & Epenthesis.

Syncope verò adimit medio, sed Epenthesis indit.
Ut, traxe. audibat. vixet. dixisse. repostum. Relligio. alituum. cinctutus. & Induperator.

Apocope, & Paragoge.

Apocope demit fini, cui dat Paragoge.
Ut, Nemon? viden? audistin? vestirier ostro.

Synalæpha, & Ecthlipsis.

Vocalis Synalephâ eliditur, Ecthlipsique M. Ut.
Monstr' horrend' inform' ingens.

---

* Pro obtestor.

Synæresis.

Syllaba de binis confecta Synæresis una est.
Ut, Dii, Diis, huic, cui, deest, dehinc, alvearia, & aureo,
Deinceps, iidem, eodem, vehemens, anteambulo, & anteit.

Diæresis.

Una autem in binas divisa Diæresis audit.
Aurai. *V.* Syliæ. *Hor.* Non ulli dissoluenda.

Systole & Diastole.

Systole longa rapit, rapienda Diastole ducit.
Systolẽ ceu, steterunt que, Diastolẽ, rẽcidimus que

Cæsura.

Longa sit orsa pedem brevis ultima per Cæsuram. Ut,
Morte nihīl opus est, nihil Icariotide telâ. *Mart.*
Jura trium petiit à Cæsare discipulorum. *Id.*
Et sub eâ versus unus & alter erit. *Ovid.*
Da mihi te facilem, dederis in carmina vires. *Id.*
Grajus homo infectos linquens profugūs Hymenæos. *Virg.*

In vocum collocatione.

Anastrophe.

Digna priore loco postponit Anastrophe verba, Ut,
Me fine. Quos inter. Te propter. Ovilia circum,
Quem contra. Thalamo sub. Eo coram. Æquor juxta.

Hyper-

Hyperbaton *vel* Synchysis.

Est vocum inter se turbatus { *Hyperbaton* / *Synchysis* } *ordo, Ut,*

Vina bonus quæ deinde cadis onerârat Aceſtes
Dividit. *Virg.* [pro, *Deinde vina, quæ bonus Ac.* &c.
Hoſpes, ait, noſco, Colchide, vela, venit. *Ov. Triſt.* 3. 9.
Quid venias, quidve, requiret, agam. *Ibid.* 3. 7.

Tmeſis.

Divellit rurſus compôſta vocabula Tmeſis.

Qua me *cunque* vocant. *V.* *Qua* nimbi *cunque* feruntur. *Lucr.*
Hac celebrata *tenus. Virg. Septem* ſubjecta *Trioni. Id.*
Jamque adeò *ſuper* unus *eram. Id.*

Hyphen.

Jungit Hyphen, vocesque duas quaſi nexit in unam. Ut.

Poſt-geniti. Hor. Non ignari ſumus *ante-malorum. Virg.*
Heri *ſemper-lenitas. Terent.*

In vocum defectu aut redundantiâ.

Ellipſis.

Dicitur Ellipſis, cum ad ſenſum dictio deſit.

Sed vos qui tandem [a]? *Virg.* [b] Fidibus ſcit [b]. Cogito [c] Romam.

---

[a] ſcil. eſtis. [b] ſcil. canere. [c] ſcil. ire.

Ventum

Ventum erat ad [d] Veſtæ, *V.* Laſſus [e] maris atque viarum. *Hor.*
Munificus [f] laudis. Docilis [g] pravi. *Hor.* Integer [h] ævi. *Virg.*
Verum vis [i] dicam? Cave [l] credas. [i] Adſit oportet.
Fac [i] ſcribas. [m] Mene incepto deſiſtere victam? *Virg.*

N. Cùm Elliptis fit ad affectum aliquem exprimendum, Aposiopeſis vocatur. *Ut.*

Quos ego [n]. Sed motos præſtat componere fluctus. *Virg.*
Me, me; [o] adſum, qui feci. *Id.*
Ego te [p], turcifer, ſi vivo. *Terent.*

Pleonaſmus.

At Pleonaſmus erit, ſi ad ſenſum verba redundant.
Hiſce oculis vidi. *Ter.* Vocemque his auribus hauſi.
Lepidè diſſimulant fore hoc futurum. *Plaut.*

Aſyndeton.

Deficiat membris ſi copula, Aſyndeton audit.
Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia. *Ter.*
Tot res circumvallant, unde emergi non poteſt,
Vis, Egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia. *Id.*

Polyſyndeton.

Copula cum ſupereſt membris, Polyſyndeton eſto. Ut,
Et ſomnus, & vinum, & epulæ, & ſcorta, & balneæ, corpora atque animos enervant. *Liv.*

Syntheſis.

Syntheſis eſt vocum ſtructura incongrua, ſenſum Reſpiciens. Ut, Pars fugiunt. Pars maxima cæſi.

---

[d] Scil. *templum.* [e] *labore.* [f] *in re.* [g] *h rationi.* [i] *ut.* [l] *ne.* [m] *decet?* [n] *mala multabo.* [o] *petite occidite.* [p] *ulciſcar.*

Syllepſis,

Syllepſis.

Perſonam atque Genus Syllepſis concipit una
Cum potiore minus dignum. *Ut,* Si ſcimus ego & vos, *Hor.*
Fœmina virque mali. Soceri tibi Mariſque Venuſque? *Ov.*

Zeugma.

Perſonam, Numerum, atque Genus pro pluribus unum
Zeugma adhibet, reliqua & reticet ſupplenda legenti.
Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt. *Hor.*
Hæc ego tuque vides. Nihil hîc, niſi carmina deſunt. *Virg.*
Vos, vos (inquam) & ſenatus frequens reſtitit. *Cic.*

Synecdoche.

Confundit Totum cum Parte Synecdoche. *Ut,* Albi Æthiopes dentes. Redimitus tempora lauro.

Hypallage.

Tranſponit caſus, & Epitheta Hypallage tranſfert.
Nomen & arma locum ſervant. Dare claſſibus auſtros, *Virg.*
In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. *Ovid.*
Tutior in ſola non eſt cum currit arena. *Mart.*

Enallage.

Partem aliam pro alia Sermonis Enallage Parte
Subſtituit, Tempuſque Modumque. *Ut,* Torva furentem. *Virg.*

a Pro torvè.

Jam [b] cras heſternum conſumſimus, ecce aliud [b] cras. *Perſ.*

[c] Scire tuum nihil eſt. *Id.*

Nec [d] veni, niſi fata locum ſedemque dediſſent. *Virg.*

——— Et ni mea cura reſiſtat,
Jam flammæ [e] tulerint, inimicus & [e] hauſerit enſis. *Virg.*

Nam ſi [f] eſſet unde id fieret, [f] faceremus. *Terent. Ad.* 1. 2.

Non ego hoc [g] ferrem calidus juventa, Conſule Planco. *Hor.*

Sperat ſe à me [h] avellere. *Terent. Eun.* 3. 3. 14.

FIGURÆ RHETORICÆ.

Figuræ Dictionis.

N. Figuræ Dictionis in repetendis vocibus verſantur.

Voces autem repetitæ ſtant, vel ſingulæ vel plures ſimul, interdum in medio diverſarum clauſularum, interdum in initio unius & medio alterius, interdum in medio unius & fine alterius, interdum locis incertis. Quas omnes repetendi varietates Repetitionis Nomine generali complector.

---

[b] Adverbium pro nomine Subſtantivo. [c] Scientia tua. [d] Veniſſem. [e] Pro tuliſſent & hauſiſſet. [f] fuiſſet. feciſſemus. [g] tuliſſem. [h] evulſurum eſſe.

Huc quidam referunt locutiones hujuſmodi, *Conſulto, facio, maturato opus eſt, pro conſuli, fieri, maturari.* Vid. Daneſ. Paralip. p. 377.

Repetitio.

Repetitio.

Laudatur vocum Repetitio facta decenter.

Exempla.

Quem *dies vidit* veniens ſuperbum,
Hunc *dies vidit* fugiens jacentem. *Senec.*
Utere lactucis, & mollibus *utere* malvis. *Mart.* 3. 88.
Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo;
Maſſica Theſeis *tam bene* vina favis. *Id.* 4. 13.
Quæ *ſcelere* pacta eſt, *ſcelere* rumpatur fides. *Senec.*
Luce *nihil* geſtum *eſt*, *nihil eſt* Diomede remoto. *Ovid.*
Ubique *caluit*, ſed levi *caluit* face. *Senec.*
Ille *dolet* verè, qui ſine teſte *dolet*. *Mart.*
Quod * petis hinc, *propiore loco*, Romane, * petiſſes;
Et * pete nunc *propiore loco*. *Ov. Met.* 15.
Quique à me *morte revelli*,
Heu ſola * poteras, * poteris nec *morte revelli*. *Id.*
Eſſe nihil dicis quicquid *petis*, improbe *Cinna*;
Si *nil Cinna petis*, *nil* tibi *Cinna* nego. *Mart.*

Repetitiones quædam Speciales.

Repetitio vocis
- Continua
  - in eadem clauſula, dicitur *Epizeuxis* aut *Place.*
  - in principio clauſulæ ſequentis, *Anadiploſis.*
- Disjuncta, cum vox eadem
  - diverſas clauſulas
    - inchoat, *Anaphora.*
    - claudit, *Epiſtrophe.*
  - unam clauſulam inchoat, & alteram claudit, *Epanalepſis.*

Cum vox recurrit (ſive continuè ſive disjunctè) Caſu alio, vel Genere, Numero, Modo, Tempore, &c. mutato, *Polyptoton* dicimus.

---

* Polyptoton. De quo infra.

Epizeuxis.

Audit Epizeuxis vehemens repetitio vocum. Ut,
Me, me, qui feci. *Nunc, nunc* insurgite remis. *Virg.*
Da, da, per auras curribus patris vehi. *Seneca.*
Vidi enim, *vidi,* penitusque perspexi. *Cic.*

Ploce.

Verba Ploce geminat, sed sensum intendit & auget,
Ex illo *Corydon, Corydon* est tempore nobis. *Virg.*

Anadiplosis.

Mox repetit vocem, quæ clauserat Anadiplosis.
Pierides, vos hæc facietis maxima *Gallo;*
Gallo, cujus amor *mirè* mihi crescit in horas. *Virg.*
Non ego te placida genitum reor *urbe* Quirini;
Urbe, meo quæ jam non adeunda pede est. *Ovid.*
— Sit Tityrus *Orpheus;* *Orpheus* in Sylvis — *Virg.*

¶ Climax.

Continuatæ Anadiplosis bene Climaca dicas.
Si illis & quod libet *licet,* & quod *licet possunt,* & quod *possunt audent,* & quod *audent faciunt,* & quod *faciunt* vobis molestum non est. *Ad Heren.*
Sæpius Polyptoton habet conjunctam. Ut, Africano industria *virtutem, virtus gloriam, gloria* æmulos comparavit. *Ibid.*
Mars *videt* hanc, *visamque capit,* potiturque *cupita. Ovid.*

Anaphora.

Diversis membris frontem dat Anaphora eandem, Ut,
Tu mihi quodcunque hoc regni, *tu* sceptra Jovemque
Concilias, *tu* das epulis accumbere Divûm. *Virg.*
Sic oculos, *sic* ille manus, *sic* ora ferebat. *Id.*

Epistrophe.

Epiſtrophe.

Diverſis membris finem dat Epiſtrophe eundem.
Ut,— Solet eſſe gravis cantantibus *umbra*;
Juniperi gravis * *umbra*, nocent & frugibus * *umbra*.
Virg.
—Crede mihi, ſi te *quoque pontus haberet*,
Te ſequerer conjux, & me *quoque pontus haberet*. *Ov.*
Oſcula dat * *ligno*, refugit tamen oſcula * *lignum*. *Id.*

N. Anaphora & Epiſtrophe interdum concurrunt. *Ut*,
Quàm bene, Canne, meo * poteras gener *eſſe parenti?*
Quàm bene, Canne, tuo * poteram nurus *eſſe parenti?* *Ovid.*

Epanalepſis.

Deſinit in vocem, quæ caperat, Epanalepſis.
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore *multa*.
Virg.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat *ultro*. *Id.*
Una dies Fabios † ad bellum * miſerat omnes;
† Ad bellum * miſſos perdidit *una dies*. *Ovid.*
Hujus ero vivus, mortuus *hujus ero*. Propert.

N. Ex Epanalepſi & Anadiploſi conjunctis conflatur Epanodos.

¶ Epanodos.

Inverſo repetit duo vel plura ordine verba. Ut,
Demophoon ventis & *verbis* & *vela* dediſti,
Vela queror reditu, *verba* carere fide. *Ovid.*
Crudelis mater magis, an *puer improbus ille?*
Improbus ille puer, crudelis tu quoque *mater*. *Virg.*
Quod *ſequitur, fugio*; quod *fugit, ipſe ſequor*. *Ov.*
Vid. Annimetabole.

---

2. Polyptoton. 3. Anadiploſis.

Polyptoton.

Polyptoton.

Caſu alio vocem repetit Polyptoton eandem.
Ut, Quantum ſcelus eſt in *viſcere viſcera* condi,
Congeſtoque avidum pingueſcere *corpore corpus*,
Alteriuſque *animantem animantis* vivere letho! Ovid. *Met.* 15.

——— Hæret *pede pes*, denſuſque *viro vir*. *Virg.*

¶ P. Scipio Africanus dicere ſolitus eſt, ſe nunquam minus *otioſum* eſſe, quàm cum *otioſus*, nec minus *ſolum*, quàm cum *ſolus* eſſet. *Cic. Offic.* 3.

Pleni ſunt omnes libri, *plena* ſapientûm voces, *plena* exemplorum vetuſtas. *Id.*

Hoc eſt *mel melle dulci dulcius*. *Plaut.*

Ut tum ad *ſenem ſenex* de *ſenectute*, ſic in hoc libro ad *amicum amiciſſimus* de *amicitia* ſcripſi. *Cic.*

Tu quoque P.eridum *ſtudio*, *ſtudioſe*, teneris;
Ingenioque faves, *ingenioſe*, meo. *Ovid.*

N. Caſus hîc pro qualibet inflectione aut immutatione Terminationis. Huc igitur pertinent voces variatæ cùm per Caſus tum etiam per Numeros, Genera, Gradus Comparationis, Modos, Tempora, aut Perſonas. Hunc quoque referimus voces variatas per Derivationem; ut, *ſenex*, *ſenectus*; *amicus*, *amicitia*; *ſtudium*, *ſtudioſus*, *ingenium*, *ingenioſus*, in exemplis ſupra poſitis. Quanquam Voſſius aliique cognatarum vocum hujuſmodi conjunctionem *Paregmenon* vocant.

Polyptoton cum aliis repetendi Figuris ſæpe concurrit, ut ſupra annotatum eſt.

⚜ Quas præterea Repetitionum ſpecies enumerant Rhetorici, earum partem Repetitionis Nomine generali complector, partem omnino prætereundam judicavi, utpote quæ plerunque ſermonis vitia potiùs, quàm ornamenta ſint.

Figuræ partim Dictionis partim Sententiæ.

1. Quæ conſtant variatione verborum.

Synonymia.

Bina aut plura rei dat verba Synonymia nihi. *Ut.*
Neſcia mens hominum eſt fati ſortiſque futuræ. *Virg.*

Deneget

Deneget afflatus ventus & aura ſuos. *Ovid.*
Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. *Cic.* Non feram, non patiar, non ſinam. *Id.*

Exergaſia.

Plura Exergaſia in rem Commata congerit unam. Ut,
Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris. *Virg.*
Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen. *Id.*

Periphraſis.

Rem circumloquitur per plura Periphraſis unam. Ut,
[a] Trojani belli ſcriptor. [b] Chironis alumnus
[c] Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem. *Virg.*

Meriſmus.

Pro Toto Partes amat enumerare Meriſmus.
Dat [d] *populus*, dat gratus [d] *eques*, dat thura [d] *ſenatus*. *Mart.*
Quæ [e] *mare* nunc, [e] *terraſque* metu, [e] *cœlumque* fatigat. *Virg.*

2. Quæ conſtant Oppoſitione Verborum & Rerum.

Antitheſis.

Contra ſe poſita Antitheſis contraria librat.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia *nigra* leguntur. *Virg.*

---

[a] Homerus. [b] Achilles. [c] Archimedes, aut Eratoſthenes.
[d] i. e. Romani omnes. [e] Luca omnia.

Vitæ

Vitæ ſumma *brevis* ſpem nos vetat inchoare *longam*. *Hor.*

Egentes in *locupletes*, *perditi* in *bonos*, *ſervi* in *dominos* armabantur. *Cic. pro Quint.*

Nulli te facias nimis ſodalem,
Gaudebis minus, & minus *dolebis*. *Mart.*

Obſequium amicos, *veritas odium* parit. *Terent.*

Paradiaſtole.

Paradiaſtole ut eſt diſjunctio diverſorum. Ut,

Non *formoſus* erat, ſed erat *facundus* Ulyſſes. *Ovid.*

Amicitias quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes *ſenſim diffluere*, quàm *repente præcidere*. *Cic. Off.* 1.

Tales amicitiæ ſunt remiſſione uſus eluendæ, & *diſſuendæ* magis quàm *diſcindendæ*. *Id. de Am.*

Antimetabole.

Inverſo opponit repetens res ordine binas Antimetabole; ut, Haud inſcitè eſt dicta *Poeſis Picturæ* eſſe loquens, *Picturamque* mutam *Poeſin*.

¶ *Magiſtratus* eſt *lex* loquens, & *lex* eſt mutus *Magiſtratus*. *Cic.*

Non ut *edam*, *vivo*; ſed ut *vivam*, *edo*. *Quint.*

Non *domo dominus*, ſed *domino domus* honeſtanda eſt. *Cic.*

Ut *noverum* optima erunt *maximè vetera*, ita *veterum maxima nova*. *Quintil. l.* 1. *c.* 10.

Mavult bonus commemorare ſe, cum poſſet *perdere*, *peperciſſe*, quàm cum *parcere* potuerit, *perdidiſſe*. *Cic. pro Quinct.*

Qui bene *imperat*, *paruerit* aliquando neceſſe eſt; & qui modeſtè *paret*, videtur, qui aliquando *imperet*, dignus eſſe. *Id. de leg.* 3.

Ii qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo *prædicare* quia *fecerint*; ſed ut *prædicarent*; *feciſſe* creduntur. *Plin. Epiſt.* 1. 8.

Citius *amore* tui fratrem tuum *odiſſe* deſinam, quàm illius *odio* quicquam de noſtra *benevolentia* detraham. *Cic. Ep. Fam.* 5. 2.

N. Hæc Figura habet ferè Epanodon conjunctam, niſi quando Caſus tantùm invertuntur; quod fit nonnunquam. *Ut*,

Ira pietatem fugat, *iramque pietas*. Senec.
Et *mihi res*, non *me rebus* ſubmittere conor. *Hor.*
Atque *Ajax armis*, non *Ajaci arma* petuntur. *Ovid.*

Paradoxon.

Ludit ſubjiciens Paradoxon inexpectatum. Ut,

Mentitur qui te vitioſum, Zoïle, dicit;
Non *vitioſus* homo es, Zoïle, ſed *vitium*. *Mart.*

——— In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum; caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus:
In illum nihil poteſt; nam exſuperat ejus ſtultitia hæc omnia. *Terent. Heaut.* 5. 1.

Syncœcioſis & Oxymoron.

Componunt pugnantia verba Syncœcioſis
Oxyque moron. ———

Nempe Syncœcioſis dat contraria eidem. Ut,
Et *latet* & *lucet* Phaethontide condita gutta. *Mart.*
Digne tuo cur ſis, *indignaque* nomine dicam. *Mart.*

——— Nec urbe tota
Quisquam est tam *propè* tam *proculque* nobis. *Id.*
Quisquis *ubique habitat*, Maxime, *nusquam habitat*. *Id.*
Tam deest avaro, *quod habet*, quàm *quod non habet*. *Syr.*

Oxyque moron idem de eodem dicitque negatque.

[a] Ars *ut* iners. [b] Perjura fides. [c] Concordia discors.
[d] Impietate pia est. [e] Tu non inventa reperta es.
[f] Strenua nos exercet inertia. [g] Δῶρον ἄδωρον.

Sic Insaniens sapientia. *Horat. l.* 1. *Od.* 34. Cum ratione insanire. *Terent. Eun.* 1. 1. Id aliquid nihil est. *Ter. And.* 2. 1. Tacita loquitur. *Et*, Cum tacent, clamant. *Cic. Catil.* 1.

Cum facias versus nulla non luce ducentos,
Vare, nihil recites; non sapis, atque sapis. *Mart.*

N. Inter Synœciosin & Oxymoron adeò tenue discrimen est, ut in unam Figuram coalescere debere videantur. Nam idem de eodem affirmare & negare perinde est (ut mihi quidem videtur) ac eidem contraria tribuere. Exempli gratia; si dixeris, *impietas pius est*; aut, *Tacitus loquitur*, æquè tribues *Impietatem* & *pietatem*, aut *silentium* & *loquelam* uni subjecto, atque si dicas, *& impius & pius est*; aut, *& tacet, & loquitur*. Sed de hoc viderint Rhetorici.

---

[a] Ennius. [b] Horat. Carm. 3. 24. [c] Idem. Epist. 1. 11.
[d] Ovid. Met. 8. [e] Id. Met. 1. [f] Horat. Epist. 1. 11.
[g] Sophocles.

Figuræ Sententiæ.

1. Quæ faciunt ad probandum.

Prolepsis *sive* Anticipatio.

Quæ contra faciunt, levat anticipata Prolepsis.
Verùm anceps fuerat pugnæ fortuna. Fuisset:
Quem metui moritura? *Virg.*

——— Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ seria ducent
In mala. *Hor. de Arte Poet.*

¶ Dicet aliquis; Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? &c. *Responsio.* Ego si quis hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiæ fuit, &c. *Cic. pro Cælio.*

Anticipationis Formulæ sunt; si quis miretur——Hic fortè mihi objiciat aliquis ——— Quod si quis mihi objiciat ——— Quod si quis me roget ——— Quæret quispiam ——— &c.

Epitrope.

Permittit simulans fieri quod Epitropa nolit.
Cedo equidem; neque te teneo, neque dicta refello:
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas. *Virg. Æn.* 4.

I, fuge: sed poteras tutior esse domi. *Mart.*
Tibi si istuc placet, profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet. *Terent. Adelph.*
Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, &c. *Ecclef.* 11.

Antistrophe, *sive* Inversio.

Oppugnantis in ipsum Inversio tela retorquet.

Narrasti nihil, inquis, & à te prodita causa est.
Tantò plus debes, Sexte, quod erubui. *Mart.* 8. 17.

At amici nostri fuerunt; eò majora meruerunt supplicia. Nam qui ignotos lædit, latro appellatur; qui amicos, paulò minùs quàm parricida. *Petron.*

Dilemma.

Hinc illinc que anceps premit atque bicorne Dilemma. Ut,

Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui. *Mart.*

¶ Quid juvat immensum te argenti pondus & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas, vilem redigetur ad assem;
At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Hor.

Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe; si verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. *Cic. in Catil.* 1.

An Cælium istum magnum hominem putabat? Quem profectò is, qui optimè nostros homines novit, vel quia non nosset, vel si nosset, contemneret. *Cic. pro Deiot.*

2. Quæ faciunt ad affectus concitandos.

Exclamatio.

Eſt animis hominum Exclamatio nata movendis.

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint,
Agricolas! *Virg.*
Heu, qualis pietas! heu, quàm brevis occidit ætas! *Mart.*
O tempora! O mores! *Cic. in Catil.* 1.
O clementiam admirabilem, atque omnium laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam! *Id. pro Lig.*

Eroteſis.

Quærit Eroteſis, poterat quod dicere recte. Ut.

Divitis audita eſt cui non opulentia Cræſi? *Ovid.*
Quid non longa dies? quid non conſumitis anni? *Id.*
Jaſonem primamque ratem quæ neſciet ætas? *Id.*
An neſcis longas regibus eſſe manus? *Id.*

¶ Patere tua conſilia non ſentis? Conſtrictam jam omnium horum conſcientiâ teneri conjurationem tuam non vides? &c. *Cic. in Catil.* 1.

Aporia *ſive* Dubitatio.

Quid dicat, vel agat, quærit Dubitatio ſecum. Ub,

En quid agam? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia ſupplex? *Virg.*
Eloquar? an fileam? *Id.*
Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accerſor ultro?
Excluſit, revocat. Redeam? non, ſi me obſecret. *Ter. Eun.*

Apoſtrophe.

Apoſtrophe.

Abſentem alloquio compellat Apoſtrophe verſo. Ut.
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæſar. *Virg.*
Munera, Bacche, tua. *Id.* Nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit. *Id.*
Mentoris hæc manus eſt? an, Polyclete, tua? *Mart.*

✾ *Huc refer, alloquium quoque cum cui vertitur ad ſe. Ut,*
Ah! Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit? *Virg.*
Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites. *Id.*
Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt. *Id.*

✾ Hæc Figura Proſopopœïam habet conjunctam cum quis res in animas & rationis expertes, tanquam perſonas, alloquitur; quod ſæpe fit, præſertim apud poetas. *Ut.*

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis? *Ovid.*
Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? *Virg.* Quid placidæ commeruiſtis oves? *Ovid.*
Trojaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres. *Virg.*
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis. *Ovid.*
Hippolytum rapidi diripuiſtis equi. *Id.*
Et canis, & variæ conticuiſtis aves. *Id.*
Sic vos non vobis vellera fertis oves. *Virg.*

Proſopopœia.

Fingit adeſſe loquique abſentes, veſque Proſopopœia habet pro perſonis ratione carentes.

Exiſtat

Exiſtat igitur ex hac familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille, —— qui profectò ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur. Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? &c. *Cic. pro Cæl.*

Hoſne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers? quòd adunci vulnera aratri,
Raſtrorumque fero, totoque exerceor anno? *Ov. Met.* 2.

¶ Patria tecum, Catilina, ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus extitit, niſi per te; nullum flagitium ſine te; &c. *Cic. in Cat.* 1.

Quòd ſi nunc Lucius ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac utetur oratione? Ego Reges ejeci; vos tyrannos introducitis; ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam ſervare non vultis: &c. *Ad. Heren.* 4.

N. Huc referendum eſt, cum res rationis expertes, quaſi perſonas alloquimur, aut eis intelligentiam, auditum, viſum, luctum, lætitiam, aut alium quempiam affectum humanum affingimus. *Ut,*

Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ. *Virg.*
—— Rhodope miratur & Iſmarus Orphea. *Id.*
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, monteſque feri, ſylvæque loquuntur. *Id.*
Vos agri, vos parietes obteſtor, annon ſudabatis, cum tantum nefas hic loci perpetrabatur? *Cic.*

Epanorthoſis.

Eſt Epanorthoſis vocis revocatio miſſæ. Ut,

Filium unicum habeo: ah! quid dixi habere me? imò habui, Chreme; nunc habeam necne, incertum eſt. *Terent.*

Sarcaſmus.

Sarcaſmus.

Hoſti Sarcaſmus moribundo illudit amarè. Ut.
Heſperiam metire jacens. *Virg.* Te ſanguine, Cyre,
Nunc ſatia. Referes ergo hæc, & nuncius ibis
Pelidæ genitori; illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento. *Virg. Æn. 2.*

[Pag. 23. Poſt Meriſmum addendum erat.]

Hendiadys.

Hendiadys binas in res rem dividit unam. Ut.
Annulus atque aurum. Chalybem frænoſque momordit.
Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa. *Virg.*
In partem prædamque. *Id.* Ad Cimbros ſtragemque volabant
Corvi. *Juv.* Fert pallam ſignis auroque rigentem. *Virg.*
———— Maculis inſignis & albo. *Id.*

i. e. Annulus aureus. Frænos chalybeos. Sanguine Virginis, &c.

FINIS.

INDEX

Troporum ac Figurarum,

Uniuſcujuſque Etymologiam docens.

A.

ALLEGORIA ab ἄλλο aliud & ἀγορέω pro ἀγορεύω dico. pag. 12
Anadiploſis ab ἀναδιπλόω reduplico. 20
Anaphora ab ἀνὰ rurſus & φέρω fero. ib.
Anaſtrophe ab ἀναστρέφω inverto. 14
Antimetabole ab ἀντὶ contra & μεταβάλλω muto. 24
Antitheſis ab ἀντὶ contra & τίθημι pono. 23
Antonomaſia ab ἀντὶ pro & ὀνομάζω nomino. 12
Apheresis ab ἀφαιρέω aufero. 13
Apocope ab ἀποκόπτω abſcindo. ib.
Apophaſis ab ἀπόφημι nego. 12
Aporia ab ἀ non & πόρος via. 17
Apoſiopeſis ab ἀποσιωπάω reticeo. 10
Apoſtrophe ab ἀποστρέφω averto. 30
Aſyndeton ab ἀ non & σύνδεσμος colligatus. 16

C.

Caſura à cædo. 14
Catachreſis à καταχράομαι abutor. 10
Climax κλίμαξ ſcala 20

D.

Dieresis à διαιρέω divido. 14
Diaſtole à διαστέλλω extendo. ib.
Dilemma à δὶς bis & λαμβάνω capio 28

INDEX.

E.

Ecthlipsis ab ἐκθλίβω elido. 13
Ellipsis ab ἐλλείπω deficio. 15
Enallage ab ἐναλλάττω permuto. 17
Epanalepsis ab ἐπὶ post & ἀνάληψις resumptio. 21
Epanodos ab ἐπὶ post ἀνὰ rursus & ὁδὸς via. ib.
Epanorthosis ab ἐπὶ post & ἀνορθόω corrigo. 31
Epenthesis ab ἐπὶ, ἐν & τίθημι pono. 13
Epistrophe ab ἐπὶ & στρέφω verto. 21
Epitrope ab ἐπιτρέπω permitto. 28
Epizeuxis ab ἐπὶ & ζεύγνυμι jungo. 20
Eroteſis ab ἐρωτάω interrogo. 29
Exclamatio. ib.
Exergaſia ab ἐξεργάζομαι effectum reddo. 23

H.

Hendiadys ab ἓν unum, διὰ per, & δύο duo.
Hypallage ab ὑπὸ ſub & ἀλλάττω muto. 17
Hyperbaton ab ὑπερβαίνω tranſgredior. 15
Hyperbole ab ὑπερβάλλω ſupero. 11
Hyphen ab ὑπὸ ſub & ἓν unum. 15

I.

Ironia ab εἰρωνεύομαι diſſimulo. 10

L.

Litotes ἀ λιτὸς tenuis. 12

M.

Meioſis ἀ μειόω minuo. 11
Meriſmus ἀ μερίζω divido. 23
Metalepſis ἀ μετὰ poſt & λαμβάνω capio. 11

Metaphora

INDEX.

Metaphora à μεταφέρω transfero. 9
Metonymia à μετὰ & ὄνομα nomen. 5

O.

Oxymoron ab ὀξὺ acutum & μωρὸν fatuum. 25

P.

Paradiastole à παρὰ juxta & διαστέλλω distinguo. 24
Paradoxon à παρὰ præter & δόξα opinio. 25
Paragoge à παράγω adduco. 13
Paralipsis à παραλείπω prætermitto. 12
Periphrasis à περιφράζομαι circumloquor. 23
Pleonasmus à πλεονάζω redundo. 16
Ploce à πλέκω plico, necto. 20
Polyptoton à πολὺς & πτῶσις casus. 22
Polysyndeton à πολὺς & σύνδετος colligatus. 16
Prolepsis à προλαμβάνω anticipo. 27
Prosopopœia à πρόσωπον persona & ποιέω facio. 30
Prothesis à πρὸ ante & τίθημι pono. 13

R.

Repetitio. 19

S.

Sarcasmus à σαρκάζω carnem detraho, diducto rictu irrideo. 32
Syllepsis à συλλαμβάνω concipio. 17
Synæresis à σὺν con & αἱρέω capio. 14
Synalœpha à συναλείφω conglutino. 13
Syncope à συνκόπτω conscindo. ib.
Synchysis à συγχύω confundo. 15
Synecdoche à συνεκδέχομαι comprehendo. 5. 17
Synœciosis à συνοικειόω concilio, familiarem reddo. 25
Synonymia à σὺν simul & ὄνομα nomen. 22

INDEX

Synthesis à συνίθημι compono.
Systole à συςέλλω contraho.

T.

Tapinosis à ταπεινόω humilio.
Tmesis à τμήγω scindo.

Z.

Zeugma à ζεύγνυμι jungo.

ERRATA.

Page	Line	*for*	*read*
6	notes 7	integrales	integralis
7	21	quoque modo	quoquo mod
23	10	dixiſſe	diviſet
24	9	ut	at

ADVERTISEMENT.

In the Index of *Variæ Structuræ*, pag. 25, line 29 read *Romanis*.